tione, et depulsione miseriarum, ut s.Thomas (3. *p. q.* 82. *a.* 4. *ad.* 9. *arg.*) explicuit, ascendit. Ex quo etiam probare possumus, in hoc sacramento exprimi Spiritus sancti adventum: quandoquidem ut olim in die Pentecostes praecipiebat Deus in Levitico aliquod sibi novum immolari sacrificium ; ita in hoc sacramento Patri offertur aeterno tam nova victima, ut numquam id fuerit visum antea, vel auditum: veterum enim sacrificia carnibus fiebant animalium; in hoc autem caro Dei et sanguis immolatur. Quemadmodum etiam Spiritus sancti adventus magnam discipulis attulit cum laetitia fortitudinem; ita divinus hic panis, et potus animam hominis roborat, et exhilarat, ut dixit David (*Psal.* 103) : *Et panis cor hominis confirmet, vinum laetificet cor hominis.* Et sicut tunc Spiritus sanctus adventu suo discipulorum mores sanctitate composuit, eos tamquam ipsorum magister, et dux instituens, ac suggerens omnia, quae Christus eis dixerat; ita divinum hoc sacramentum digne communicantes reddit meliores, et coelestibus muneribus locupletiores, ut s. Cyprianus (*in ser. de coena Dom.*) in hunc dixerit modum : *Cum saturati fuerint, vide quid agant, intellige quid loquantur, quam sancti odoris sit, quidquid illa eructat plenitudo, verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos.* Sed quoniam non solum ipsum Dominici corporis, et sanguinis sacrificium, verum etiam singulae in ipso ministrando caeremoniae a diversis Romanae Ecclesiae Pontificibus ordinatae peculiarem habent significationem, qua Christi mysteria notantur, illa brevi nunc stylo perstringam. Primum sacerdos confessione dicta osculans altare significat pacis osculum nobis a Deo praebitum. Recitans subinde Introitum, indicat Dei ingressum in mundum de Virgine nascentis, claudensque versiculo, *Gloria Patri* etc. tres beatissimae Trinitatis personas profitetur. Repetens novies *Kyrie eleison*, innuit laudes, quas ei novem angelorum chori decantant; vel novem menses, per quos Christus in Matris latuit visceribus. (*Luc.* 1) *Gloria in excelsis Deo*, revocat in memoriam coelestium spirituum canticum quo eius sanctissimum natalem celebrarunt. Orationes, quae recitantur ante Epistolam, denotant Christum, antequam praedicaret, orationi vacasse, de quo scriptum est (*Luc.* 6): *Erat pernoctans in oratione.* Evangelium praecedens Epistola praecursorem Baptistam, qui ante Christum venit ad poenitentiam praedicandam. Evangelium Epistolae succedens indicat, post Baptistae doctrinam successisse Christi legem. Recitatio symboli ab Apostolis compositi ipsos mysteriorum fidei fuisse praecones. Oblatio in hoc sacrificio significat illam, quae in cruce pro peccatoribus facta est. Orationes secretae, tempus, in quo Christus ante passionem latuit. Praefatio, ipsum in Hierusalem civitatem redeuntem laetis vocibus, et canticis exceptum. Elevatio hostiae, corpus illius in cruce elevatum: calix sanguinem pro nobis effusum. Secunda elevatio, ipsum ab ipso tandem in cruce spiritum emissum. Remotio velaminis, velum templi divisum. Et quod tunc fit crucis signum, indicat nos per ipsam Patri conciliatos. Orationes secretae, et observati in eis ritus sacrum eius corpus in secreto sepulcro positum. Hostiae partitio scissionem lapidum, propter mortem sui Salvatoris dolentium. Hostiae particula sanguini adiuncta coniunctionem, quae facta est in resurrectione Christi, quando sanguis eius corpori fuit restitutus. *Pax vobis* significat pacem a Christo datam Apostolis Hostiae absumptio, et calicis haustus, quo fit, ut sacramentum ab oculis removeatur adstantium, Christum in ascensione se abscondisse ab oculis discipulorum suorum. Inquiens sacerdos, *Ite missa est*, docet per hoc sacramentum a Christo nostrae redemptioni finem impositum. Ac tandem benedicens praesentibus significat benedictionem, quam Deus largietur praedestinatis, Christo ipsis dicente (*Matt.* 25): *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi :* quod pro immensa Christi charitate ipse largiri nobis dignetur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Manna veteris legis cum Eucharistiae sacramento comparatur, et proponitur exacta interpretatio verborum Christi : Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt : hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur.

Inter multa figurarum genera, quibus olim sacramentum Eucharistiae praesignificatum fuit, nihil expressius, quam manna coelitus missum Israelitis per desertum iter agentibus praenotavit: et unde si discusserimus attente nomen eius, naturam, proprietates, et circumstantias, quibus a Deo mittebatur, et ab ipsis condiebatur Israelitis, pandetur nobis ostium, venaque detegetur, per quam argentum, et aurum pretiosissimum, quod in hoc mysterio reconditi est, effodiamus. In primis manna vocatur a Davide panis angelorum (*Psal.*57): *Panem angelorum manducavit homo:* quoniam eorum manibus conficiebatur, et ab ipsis mittebatur. Quod egregia figura fuit muneris, quo nunc in Ecclesia funguntur sacerdotes a Malachia propheta quondam vocati *angeli*, qui sunt in hoc ministerio quasi panifices, consecrationis verbo potentes, et divinae huius mensae non solum convivae, sed etiam structores, et distributores. Presbyteris enim hoc sacrum panificium sic convenit, teste d. Thoma: *Ut sumant, et dent ceteris.* Iniiciebat admirationem Israelitis manna coelitus descendens, unde illo vescentes dicebant, *Manhu*, quod significat, *Quid est hoc?* et noster panis angelicus tantum terris coeloque affert stuporem, ut cum illum intelligere praeter eius auctorem nullus queat, ad nos pertineat sola fides, et admiratio dicendi: *Manhu, quid est hoc?* et ad ipsum solum spe-

ctet verissima, et potens responsio: *Hoc est corpus meum*; quibus verbis satisfecit votis, et interrogationi Hebraeorum, et Ecclesia suae, quem Synagoga spreverat, animarum cibum praebuit. Sed ut naturam veteris manna declarare incipiam, duo ad id ex sacris litteris afferam testimonia, quorum primum ex Numeris desumptum huiusmodi est: *Erat autem man quasi semen coriandri coloris bdellii, circuibatque populus, et colligens illud frangebat mola, sive terebat in mortario, faciens ex ea tortulas saporis, quasi panis oleati.* Quae verba mirifice describunt, et praesignificant Christi corpus in crucis mortario contritum, qui se nobis in tortula consecratae hostiae praebet alimentum, ex quo mens nostra oleum devotionis, et Spiritus sancti recipit unctionem. Color eius clarus, et amaritudine commistus innuebat amaritudinem, quam pro nobis Christus in cruce sustinuit, omni spectante populo fel, et acetum bibens, qui cum sit olei filius, ut scriptum est (*Isai. cap.* 5) : *In cornu filio olei*, et cum nomen eius oleo comparetur (*Can.*1): *Oleum effusum nomen tuum*, optime significatur per tortulas saporis, quasi panis oleati: nam sicut oleum corporis vulneribus fovendis, et sanandis aptissimum est; ita corpus Christi digne perceptum omnibus humanae mentis vulneribus, et ulceribus medetur. Sed ne medicina, quae per corpus Christi animis nostris adhibetur, putaretur mordax, et molesta aegrotantibus, ait Scriptura (*Exod.*16): *Et gustus eius quasi similae cum melle*: quia panis similagineus melle intinctus comedenti est iucundissimus. Erat manna *quasi semen coriandri;* cuius grana, ut tradit Philo (*in lib. alleg. sac. pag.*), etiamsi in minutas partes divisa seminentur, non minus quam integra proveniunt, et fructum ferunt: cum contra fiat in tritico, quod nec sub terra conditum germinat, si a formicis abroditur. Quae coriandri proprietas optime convenit Eucharistiae sacramento: nam etsi in minutas particulas divisum sancte sumatur, eundem quem integra hostia producit effectum, quoniam eadem substantia, et virtus Christi in quovis frustulo, quae in toto hostiae circulo continetur, ut docuit d. Thomas: *Tantum latet sub fragmento, Quantum toto tegitur.* Inest quoque semini coriandri alia qualitas: nam cum sit homini medela, cani est venenum, ut scribit Isidorus ; sic divinus hic panis, quamvis iustis est plusquam manna, illum tamen in peccato manducantibus virus est mortiferum, ut ex eodem d. Thoma canit Ecclesia: *Mors est malis, vita bonis. Vide paris sumptionis, Quam sit dispar exitus.*

Alterum sacrae Scripturae testimonium, quo natura coelestis manna innuitur (*in lib. Sap.*16) legitur : *Omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem :* nam ut ibidem scribitur : *Ad quod quisque volebat, convertebatur.* Hoc ultimum Abulensis (*q.* 5. *sup. Exod.*) intelligit quoad iustos, quibus manna convertebatur in saporem eis placitum, et magis iucundum; idque censet innixus verbis Sapientiae: *Dulcedinem tuam quam in filios ostendebas:* nam si filiis saporum illa diversitas communicabatur, ab eo proculdubio videntur exclusi, qui filii non erant. Quam opinionem sequitur quoque doctissimus Lyra (*sup. c.* 16. *Sap.*), idque probat verbis Israelitarum, qui Deo non erant accepti, quando manna fastidientes dixerunt (*Num.* 12): *Anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo.* Hinc enim apparet, non eis deserviisse ad omnem saporem, cum eius esu ad nauseam se dicerent irritari. Hoc autem inde erat, quoniam Deus peculiari miraculo impediebat, ne ab illis saporum illa diversitas, et suavitas perciperetur, quam tantummodo, ut sacra dicit Scriptura, in filios ostendebat, communicans eis multiplicem saporum gustum, et iucunditatem, quam revera in seipso manna deserviens uniuscuiusque voluntati retinebat, ut allegata verba docent: *Omnem saporem suavitatis etc.* Quod Caesareus Arelatensis (*sup. festo Paschatis*) eleganter, et late prosequitur. Sapores omnes teste Plinio (*lib.* 15. *c.* 17) decem sunt: *Dulcis, suavis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus. et salsus.* Ex quibus inter se commistis ingeniosa hominum gula ferculorum diversa genera condivit, quoniam singulorum natura unum tantum continens saporem, minus humano palato satisfaciebat. Deus autem Israelitis dedit cibum tantae virtutis, ac saporis, ut in ipso omne delectamentum, omnisque saporum suavitas includeretur, ut expressa esset imago mystici nostri manna, habentis omnia genera saporum spiritualium, quibus anima nutritur. Quam ob causam putaverim Oseae, et eius imitatione Basilium sacramentum altaris nominasse, *Panem arctum;* quod praeter alia miracula omnes animi voluptates arcto quodam amplexu intra parvulae hostiae angustias comprehendat. Itaque quemadmodum, ut rerum Indicarum tradunt scriptores, et qui ab ea regione venerunt, nobis attestati sunt, apud eos quaedam arbores adeo fructiferae, et utiles reperiuntur, ut omnia humano victui, et praesidio necessaria subministrent, nam et fructum producunt, quo Indi vescuntur, et liquorem, quo utuntur pro potu; folia gignunt, quibus tanquam ex bombycibus telas faciunt ad amictum, et ne acus ad sarciendum deficerent, ex eisdem arboribus nascuntur spinae, quibus acuum inopia suppletur; ac tandem pro filo cortices earundem arborum extenuantur in philyras, ex quibus fila deducantur ; non secus in hoc sacramento tot bona, et commoda ad omne nostrae indigentiae remedium, et praesidium Deus congessit, ut dicere vere possimus (*Sap.* 7): *Omnia bona venerunt nobis pariter cum ipso.* Hoc nobis insinuavit David cum scripsit (*Psal.* 44): *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum;* quasi dicat, omnis odorum suavitas, et omnis pulchritudo, qua filiam Regis, hoc est animam hominis, Deus oblectat, venit a domibus eburneis: tales enim esse solent divitum, principum, regumque domus, unde Horatius:

(cunar.
Non ebur, neque aureum mea residet in domo la-

Nec modo regum domus, sed ipsa Deorum templa ebore ornabantur, quod contra Verrem indicat Cicero his verbis : *Ut omne ebur*

ex aedibus sacris, *Deorum denique simulacra, quae vellet auferret*, et (*lib.* 3. *Tusculanarum*): *Vidi ego te astante ope barbarica*, *tectis coelatis*, *auro ebore instructam regifice.* Plinius quoque docet ipsos Deos antiquorum solitos formari eburneos: *Iovem fecit eburneum in Metelli aede*. Quare cum Deus noster regum Rex sit, immo et Deorum Deus, eburneam domum eius esse oportebat, qualis est eburnei, et candidi coloris hostia, quam ille sacramentaliter inhabitat, unde in filiam regis, animam nempe iusti, profluit abundanter myrrha, gutta, et casia: id est omnis medicina, suavitas, praesidium et oblectamentum. Tanta enim huius sacramenti virtus est, ut solo eius gustu anima saturetur, ne liguriat res inanes, et caducas, haustu divini calicis ebria, et angelici panis esu satiata, quemadmodum Deus eam alloquens dixit apud Hieremiam (*c.*31): *Inebriavi animam lassam, et animam esurientem satiavi:* quod et indicant verba (*Cant.* 2): *Ego flos campi*, *et lilium convallium*, quae alii vertunt; *Ego flos saturitatis;* et illud Pauli (*Act.* 14): *Implens cibo, et laetitia corda eorum.*

Sed veniamus iam ad declarandas veteris manna proprietates: quarum etsi nonnullae, dum eius naturam proponebamus, expositae sunt; aliae tamen supersunt notatu dignissimae, et singulares, inter quas consideratione dignissima est proprietas levitatis, quam illi assignarunt, qui dixerunt (*Num.* 21): *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo.* Ex qua proprietate duo mihi mysteria declaranda se offerunt: nam cibi illius levitas indicat modum, quo Christus sub hoc sacramento est, alienus ab omni pondere, et gravitate: quoniam licet tantus illic sit, quantus in coelo est, et easdem in sacramento, quas extra illud, habeat quantitatis, et qualitatis proprietates; quia tamen prout latet in sacramento, non commensuratur loco, quod proprium est quantitatis, nec gravescit aut causa ponderis est, quamvis id etiam pertineat ad gravitatem: nam cum uterque effectus sit secundarius, nullum est inconveniens, si praesentibus formis a quibus producuntur, absint, ut late (*to.* 1. *q. selectar. nostrae Dialecticae Philosophiae*, *et Metaphysicae*) probavimus. Secundo levitas illa significabat, manna non fuisse cibum verum, et solidum nostrarum animarum alimentum, ac propterea Christus de illo loquens dixit (*Ioan.* 16): *Non Moyses dedit vobis panem de coelo verum; sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum.* Quamobrem dicere vere possumus, omnia delectamenta prae hoc divino cibo carnis Christi esse instar fructuum Sodomae, qui post incendium cum externa specie adhuc esse fructus viderentur, nihil intus praeter cinerem habebant. Tertio levitas notabat, tam ipsum manna, quam panes propositionis, et panes Melchisedech, agnum paschalem, nec non reliqua legis scriptae sacramenta levia fuisse, inania, et vacua omni virtute ad recipientium animas puritate, et sanctitate decorandas, ut docuit Paulus, dicens (*Hebr.* 9): *Non poterant iuxta conscientiam perfectum facere servientem.* Unde idem Apostolus illa vocavit *Infirma et egena elementa:* quae ea omnino carent virtute, quam Christus novae legis sacramentis impertivit, ut s.Thomas (1.2. *q.* 13. *a.* 2) explicuit. Hanc etiam doctrinam confirmant septuaginta Interpretes, praedicta verba, *Anima nostra nauseat super isto cibo levissimo*, ita vertentes: *Anima nostra gravata est in pane vacuo isto ;* quibus verbis Hebraei, etsi quid dicerent, ignorabant, vere locuti sunt, cum manna illud vacuum esset, et inops ab ea virtute et gratia, quam panis noster divinus includit, et nobis infundit. Quod etiam Deus ostendit, praecipiens in Exodo, ut ad custodiendum manna altare fieret, non *solidum*, *sed inane*, *et cavum intrinsecus*. Cum vero divinus hic panis sit cibus solidus, et perfectis conveniens, ut Paulus dixit (*Heb.* 5): *Perfectorum autem solidus cibus est ;* habet in Ecclesia catholica altare veteri tabernaculo firmius, et solidius, de quo idem Apostolus (*Heb.* 19): *Habemus enim altare*, *de quo edere non habent potestatem*, *qui tabernaculo deserviunt*. Hinc venit alia proprietas explicanda, superiori non absimilis. Orto sole, ut refertur in Exodo, manna liquefiebat, quoniam oriente Sole iustitiae Christo, et doctrinae suae radiis mentes nostras illuminantibus, tam ipsum manna, quam reliquae huius divini sacramenti figurae cessare debebant. At licet ad solis praesentiam manna liquesceret, non tamen ad ignis calorem: quo significabatur, altaris sacramentum quod per excellentiam Christus appellavit *Mysterium fidei*, non pati solis radios, hoc est evidentiam miraculi, et exactum humanae rationis examen, sed tantum admittere sublustre fidei lumen, et ignem charitatis: tunc enim non liquescit, aut disparet, sed magis nobis insinuatur, et elucescit: quoniam cum huius sacramenti institutio non aliunde, quam ab igne amoris ortum habuerit, convenit ei amoris affectio, fideique simplicitas, quae comitatur charitatem. Erat et alia proprietas, sive circumstantia, qua manna Israelitis dabatur: nam pariter cum manna ros cadebat, ut constat ex allegato Exodi capitulo, ubi sic legitur: *Mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum.* In cuius loci expositionem Abulensis ait, quod antequam manna descenderet, terrae superficies vehementi vento ab omnibus sordibus abstergebatur, et ros subinde illabebatur, et super rorem manna descendebat, quod et Nicolaus Lyra attestatur, constatque ex lib. Numerorum: nam ubi legitur: *Cumque descenderet ros super castra*, *descendebat pariter et manna*; ex textu Hebraeo alii vertunt: *Descendebat super eum manna :* immo et Rabbi Salomon addit, super ipsum manna rorem alium defluxisse, quod colligit ex verbis Hebraeis in loco iam citato, quae latine hunc sensum reddunt: *Mane quoque fuit operimentum roris*. Idque fiebat, ut manna rore contectum ortu solis non liquefieret. Quae omnia singulariter nos docent, qualis esse debeat mentis nostrae praeparatio ad sanctissimi sacramenti communicationem, quanta cum reverentia suscipiendum sit, et quis eius effectus praecipuus: nam ventus praeveniens, quo purgabatur terra, super quam erat manna descensurum, quid aliud significabat, nisi necessariam praeparationem, qua mens nostra ab omni peccati labe purgetur, et expietur? quod fit Spiritus sancti afflante aura, qua peccatorum sordes absterguntur. Praeterea quod manna non caderet super terram, antequam rore tegeretur, ut rore ipso, quasi mappis exciperetur, indicat reverentiam, qua Eucharistiae sacramentum tractare debemus. Cadens tandem coelitus manna simul cum rore satis aperte nobis ponit ante oculos mirabilem sacramenti huius effectum, per quem animis nostris influit coeli ros, quo mens virescit, et foecunda fit, ac ut dixit d.Thomas, omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. Quod si roris proprietates consideramus, quanta sit copia bonorum, quae per hoc sacramentum nobis donantur, facile cognoscemus. Ros enim calorem temperat, et refrigerat, ut dixit Ecclesiastes (*c.* 14): *Ros obvians adducet in refrigerium gratiae, foecundam facit terram, et germinantem :* unde Oseas (*c.* 4): *Ego quasi ros*, *et Israel germinabit*. Fugat, teste Aristotele (*li.* 2. *c.* 37), serpentes, et animalia venefica exterminat, quod et Isaias videtur notasse: *Ros lucis*, *ros tuus*, *et terram gigantum detrahes in ruinam.* Sustentat pecora, et armenta, corvorumque pullos a genitoribus desertos: *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Quibus et aliis multis roris effectibus, quid divinum Eucharistiae manna in nobis efficiat, ostenditur. Nec mysterio caret, quod, ut ait Scriptura, descenderet per noctem: id enim significat modum, quo Christus adest sub hoc sacramento, modo videlicet nobis occulto, et obscuro. Innuit etiam ea temporis circumstantia tempus nocturnum, in quo Christus verum sui corporis manna erat instituturus; unde Paulus (2. *Cor.* 12): *In qua nocte tradebatur, accepit panem etc.* ut interim sileam, noctis circumstantia nos admoneri, hoc tam excellens fidei nostrae mysterium non inspiciendum ad lucem humanae rationis, et solem evidentiarum, quas humana ratio cuperet, ut iam dixi, sed ad noctem, et caliginem fidei, per quam qui catholicus est, clausis humanae rationis oculis, plura, et mirabiliora in sacramento consequitur, et intelligit arcana, quam qui fide destitutus quamvis acutus tantum miraculum proprio ingenio intelligere praesumit. Ait quoque sacra pagina, cecidisse manna in circuitu pastorum, ubi erat Dei populus, quod praenotavit sacramentum corporis Christi in Ecclesia catholica inter Christi fideles conservandum. Praeterea consideranda est loci, ac temporis circumstantia: quoniam sicut manna datum fuit Israelitis per deserta vagantibus, postquam vero in terram promissionis pervenerunt, illud amplius non habuerunt; ita nobis dum vitam agemus in terris procul a patria peregrinantes, nunquam deerit institutum a Christo divinum alimentum, ipso dicente (*Matt.*28): *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi;* cum autem in patriam remigrabimus, beatitudinis facti participes, auferetur velamen, et se nobis Deus sicuti est exhibebit inspiciendum (1. *Ioan.*13): *Tunc enim videbimus eum sicuti est.* Huc spectat, quod manna in die sabbati non descendebat, quoniam dies erat festus Hebraeorum, ut inde coniiciamus, in festo aeternae felicitatis non amplius futurum corporis Christi sacramentum, nec iam in speculo, vel per aenigma, sed facie ad faciem huius sacramenti auctorem a nobis videndum. Ne vero aliqua circumstantia relinquatur intacta, explicanda sunt verba (*Exod.* 16): *Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus.* Quae Abul. elucidans (*in comm. Exodi*), sic interpretatur eius rei miraculum: ut quibus plus manna, quam permittebat mensura, quae a sacra Scriptura vocatur gomor, collectum fuisset, condensaretur: et quibus minus fuisset paratum, dilataretur ad mensurae determinatae complementum; unde sive multum, sive parum quis legisset, satis habebat ad sui alimentum, et sustentationem. Quod Rupertus acutissime applicat sacramento altaris, quoniam quemadmodum peccatum primi parentis, et damnum inde secutum non accepit mensuram a maiori, vel minori quantitate pomi, quod ille comedit: nihil enim intererat, si uno vel pluribus morsibus pomum comederetur; sic utilitas huius sacramenti per grandiorem, vel minorem hostiam, vel earum maiorem numerum, vel minorem, non metienda est, cum tantum accipiat, qui hostiae consecratae particula reficitur, quantum qui magnam hostiam assumit, ut in Hymno s. Thomas asseruit: *Sumit unus, sumunt mille, Tantum isti*, *quantum ille.* Quod tandem iuberet Deus quotidie manna colligi, praeterquam in sabbato, duo continet mysteria. Primum est frequentiae, qua debemus sanctissimum hunc cibum accipere; unde aiunt nonnulli a Christo in oratione Dominica ideo vocatum *panem quotidianum :* quod et docuit Ambrosius (*in libro* 5. *de sacram. c.* 4), cum dicit: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Alterum mysterium est, ut adnotavit Theodoretus (*in quaestion. super Exod.* 16), cum Deus praecepisset Israelitis sabbati observantiam, et ab operibus servilibus cessationem, voluit praebere illis exemplum, manna non mittens in sabbato. Atqui ut umbra conveniret veritati, sicut olim in sanctuario reposita erat, ut dixit Paulus (*Heb.*9): *Urna aurea habens manna;* ita nunc Ecclesia catholica in tabernaculo altaris custodit manna verum, quod est Eucharistiae sacramentum, ubi revera auctor vitae delitescit, qui de hoc ipso loquens Hebraeis id ita testatus est: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit*, *non moriatur.* Quae verba cum plena sint difficultatis, operae pretium erit illam expedire. Difficultas est, de quanam morte Christus loquatur, et in quo sensu vera sit illius assertio: nam si de morte corporis loquitur, quia et nos Christi corpore vescentes etiam morimur; sicut mortui fuerunt, qui primum manna manducarunt, nulla inter utrumque cibum videtur esse distinctio: si autem loquitur de morte spiritus, nec in hoc sensu omnes, qui manna comederunt, mortui sunt: ut Moyses, et Aaron, qui nunc aeterno Dei conspectu fruuntur: sicut et qui manna Eucharistiae assumunt, non omnes vitam assequuntur spiritualem, quales sunt, qui non expiata conscientia ad sacramentum accedunt:

vel qui gratiam recipientes, illam postea perdunt ad peccatum redeuntes; quod Paulus testatus est, inquiens (1. *Cor.* 11): *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi.* Quo dilemmate Augustinus convictus, (*in tract. sup. Ioan.*) propositae difficultati respondet, per verba Christi, dicentis: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, etc.* non conferri panem cum pane, sed personas comparari cum personis: quoniam inter Hebraeos fuerunt, qui manna manducabant absque aliqua consideratione, ac fide rei quam figurabat: et hi sunt, quos Christus vocat patres, cum dixit: *Patres vestri etc.* omnes enim illi mortui fuerunt quoad spiritum, non tamen Moyses, Aaron, Iosue, qui comederunt in spiritu, respicientes ad id quod per manna insinuabatur, corporis, et sanguinis Christi sacramentum, ideoque illos sic cibum illam edentes, non vocavit Christus patres eorum, quibus ipse dixit, *Patres vestri etc.* quoniam non illorum, sed nostri illi erant patres, sicut ait Paulus (1. *Cor.* 10): *Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducaverunt.* Hanc expositionem sequuntur Beda, et Glossa ordinaria; tamen duobus potest impugnari non levibus argumentis. Primum est, quod, ut ex Christi verbis patet, tam manifeste cibus ille Hebraeorum cum hoc nostro, et panis ille cum hoc pane comparatur, ut dubitationi locus esse non posse videatur, cum prius dicat Christus (*Ioan.*6): *Patres vestri manducaverunt manna, et mortui sunt*, et statim subiiciat: *Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Alterum argumentum est, quia cum Hebraei dixissent, *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt*, Christus respondit: *Patres vestri manducaverunt manna, etc.* Unde constat directum a Christo sermonem ad eosdem, cum dixit: *Patres vestri, etc.* ad quos ipsi sermonem direxerant, dicentes, *Patres nostri*, nullo inter hos, aut illos discrimine assignato. Secunda expositio Christi aientis, *Patres vestri manducaverunt etc.* asserit, illum Hebraeorum panem cum nostro comparari et Christum loqui non de morte corporis, sed animae, et differentiam excellentiae, qua unus panis alteri praestabat, in eo positam, quod de pane illo comedentes non poterant inde vitam assequi spiritualem; qui autem eam adepti sunt, non a natura, sed a fide charitate formata, qua ipsum comedebant, acceperunt: manna enim in se vitam non habebat, nec ex se ipso illam communicare poterat; Eucharistiae vero sacramentum in se ipso vitam, immo ipsum vitae continet auctorem, qui de se dixit (*Ioan.*14): *Ego sum via, veritas, et vita;* ideoque potest ex natura sua vitam largiri digne manducantibus, illosque servare incolumes, nisi propriis manibus sibi mortem inferant per peccatum. Quae interpretatio licet verissime quidem dicat, non tamen legitimus verborum Christi sensus est, cum solum admittat Christum loqui de morte spiritus: quod verum esse non autumo: nam Christus intendebat per exemplum rei manifestae, et sensibus expositae convincere Hebraeos; mors autem spiritualis antiquorum Patrum non erat res ita manifesta, sed potius obscura, nec facile probabilis; unde mihi persuadeo, meliore salvo iudicio, Christum dicentem (*Ioan.*6): *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt*, de morte corporis fuisse locutum; et quando addidit (*ib.*): *Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur*, mortem animae, et spiritus insinuasse. Nec mirari quis debet, quod in tam brevi rationum, et verborum intervallo Christus usus fuerit verbo, *mori*, in significatione diversa: siquidem eodem est usus brevius alibi inquiens (*Matt.* 8): *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos;* primo loco mortuos spiritu, ac subinde corpore mortuos intelligens. Et Ioannes brevissimo verborum spatio eiusdem vocis mutavit significationem. *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit:* nam quidquid terris, caeloque clauditur, nomen mundi primo loco positum significat; secundo autem Microcosmum, sive parvum mundum, qui homo est, denotat, a quo utriusque auctorem non cognitum fuisse asserit. Quamobrem Christi verba sic interpretanda censeo: Considerate Hebraei, quantum hic ab illo pane differat: nam ille corpori vitam dare non poterat, hic animae affert vitam immortalem. Quibus verbis duobus necessariis argumentis Hebraeos urget, ad excellentiam divini huius panis confirmandam. Primum argumentum sumitur a minori ad maius per negationem, in hunc modum: Vestrum manna, Hebraei, non potuit praebere vitam corpori, quod minus est: ergo animae illam dare non valebit, quod utique maius est. Alterum argumentum est a maiori ad minus per affirmationem. Hoc manna, et panis hic de caelo descendens, vitam animae largitur, quod maius est: ergo et corpori eam largietur, quod minoris virtutis est indicium; ob idque subiungit (*c.*6): *Ego resuscitabo eum in novissimo die.* Quod nobis ipse praestare dignetur ad gloriam sempiternam, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XII.

Quantum Dominicae carnis, et sanguinis convivium praestet omnibus, quae celebravit tam sacra, quam profana antiquitas.

Insignia certe, ac multa fuere convivia, quae tam in sacris, quam in profanis leguntur historiis; quoniam tamen omnia referre difficile, et praesenti instituto minus necessarium foret, reliquis praetermissis, insigniora tantum memorabo, illaque cum Dominici corporis regalibus, ac divinis dapibus conferam. Sed antequam rem aggrediar, a Luciani verbis exordiar, dicentis (*in dialogo Nigrino*), gulae gustum vix longius, quam digitis quatuor extendi, tanto enim spatio protenditur collum, quo cibi ad stomachum transglutiuntur. Unde gu-

losus ille nomine Philogonus, ut refert Aristoteles (*Ethi. lib.* 3. *c.* 10), a diis ardenter postulabat, ut collum sibi longius ciconiae collo concederent, sic enim sperabat ciborum, et alimentorum longiorem sibi fore delectationem. Quae licet ita sint, non tamen tot carnibus, et fructibus terrae, non maria, et flumina tot piscibus, non aer tot volucribus, tam exiguo spatio, quale occupat gulae gustus, satisfacere potuerunt. Quod certe mirabilius est, cum Macrobius (*in Saturnalibus lib.* 3) dicat, principio mortales solitos fuisse glandibus vesci, ac postea nucibus vescentes, illarum esum iudicavisse gratissimum, et Iovis appellasse alimentum. Sed eo intemperantiae, ac effrenis appetentiae prorupit humanum genus, ut cum nutrimentorum simplicium tanta varietate saturari, et placari non posset, innumera condimenta, et liquamenta eduliorum, et potuum excogitaverit, atque eo non solum incontinentiae, sed etiam impietatis processit, ut Apostolus (*Philip.*3) dixerit, gulosis Deum esse ventrem: *Quorum Deus venter est*, cui ut placeant, et inserviant illi, nihil non tentant, noctes, diesque illius obsequio impendunt, ad ipsum dirigunt preces suas, et confabulationes, ut Epulo, de quo in Evangelio: ac tandem ventri tamquam Deo addicti, et mancipati tot offerunt sacrificia, quot aves in aere, pisces in mari, animalia in terris vita privant, ut suam delitiose sustentent, cui tot immolant victimas, quot lauta convivia, et splendidae epularum accubationes ab ipsis extruuntur. Inter quae convivia non inferiorem locum occupat illud Vitellii, Romanum Imperium moderantis, cui iussu fratris, ut refert Alexander ab Alexandro, ministrata fuerunt lectissimorum piscium fercula duo millia, et avium septem millia, praeter placentam sexcentorum sestertiorum, et ut explicat Plinius, quinque millium aureorum. Refert idem auctor in libro de naturali historia, Cleopatram ultimam Ægypti reginam, ex duobus unionibus aestimationis ducentorum quinquaginta millium aureorum, ut scribit Budaeus, unum in pulveres redactum, bibendum dedisse Marco Antonio, quem lautissimo convivio exceperat. Æsopi Tragoedi filius, parente ex histrionica ita divite, ut sexcentis HS. ei patina steterit, tantas a patre opes accepit, ut singulis coenis, teste Plinio (*lib.* 10. *c.* 5), uniones aceto liquefactos apposuerit. Unde de eius prodigentia inquit Horatius (*lib.* 2. *sermonum*):

Filius Aesopi detractum ex aure Metellae,
Scilicet ut decies solidum exorberet aceto
Diluit insignem baccam.

Mirabilia quoque sunt Servii, et Saxonis convivia, in quibus nullae aves nisi exquisitissimae apponebantur. Sed horum lautitias, et delicias superavit Heliogabalus, cuius iussu, ut referunt historici, in conviviis ab eo celebratis, saepe ministrata sunt centum struthiocamelorum capita, ut eorum cerebellis convivae pascerentur: qui et vile putabat, cum esset prope mare, comedere pisces, vel carnibus vesci, nisi a continenti procul abesset. Sed missa faciens gentium convivia, sacra subiungam. Nemo est qui nesciat apparatum, et splendorem mensae Salomonis, pretiosorum eduliorum varietatem, mirabilem ministrantium ordinem, cuius excellentia, et maiestate regina Saba obstupuisse dicitur (3. *Reg.* 10): *Videns cibos mensae, et ordinem ministrantium, non habebat ultra spiritum.* Celebratissimum fuit regis Assueri convivium, magnatibus regni per dies centum octuaginta, et populo per septem exhibitum, cuius magnificentia convivia tam Graecorum, quam Romanorum superata dicuntur; sed aequatum ei fuit Regis Balthasaris epulum, quod, ut sacra narrat historia, praebuit *Optimatibus suis mille*, sibi pocula invicem propinantibus per aetates: sicut Romani per nomina, ut ibidem legitur: *Unusquisque secundum suam bibebat aetatem*, diis eorum praesentibus, ut ex verbis Scripturae constat: *Laudabant deos suos aureos, et argenteos.* His adnumerare possumus regis Herodis convivium, *Principibus, et Tribunis Galilaeae* factum, ubi appositum scimus ferculum, quo nullum antea pretiosius, caput scilicet Ioannis Baptistae. Omnes tamen hi principes, et monarchae suas opes, et munificentiam in his conviviis ostentantes, eo pervenire minime potuerunt, quo Dei benignitas, et liberalitas provecta est, ut homo laute, et splendide viveret; ac deinde miser factus felicius instauraretur. Nam alimenta, quibus corpus nutritur humanum, considerantibus, vilescent quaecumque in hominum conviviis apposita narrantur, si cum eo comparentur, quod lautissimum, et abundantissimum Deus homini in paradiso praeparavit. Illic omnia subiecit pedibus eius, omnia genera ciborum gustui humano permisit, omnium fructuum, et arborum esum praeter unius arboris vetitae fructum concessit; et post cataclysmi universalem terrarum devastationem de arca egredienti Noe, ipsiusque comitibus, tam copiosam apposuit mensam, ut quidquid moveretur, et viveret, hominis escam esse praeceperit: *Quod movetur, et vivit, erit vobis in escam.* Cum vero postea Israelitis per deserta vagantibus esca defecisset, illis Deus succurrit missione manna, quod tantae virtutis erat alimentum, ut omnium ciborum saporibus, et nutritionibus aequipararetur. Et in lege gratiae ab eius auctore Christo scimus in deserto sine aliquo humanae annonae praesidio, solo verbi imperio quinque millibus hominum praeter pueros, et mulieres convivium paratum, ita copiosum, ut cunctis expletis superfuerint duodecim cophini fragmentorum. Sed omnia haec, et quae potest cogitatio concipere humana, vel angelica mens, vilia, et exilia admodum fuerunt, si cum epulo comparentur, quod hodie Christus in sacramento altaris humano generi proponit: nam praeterquam nobis dat carnem suam unitam Verbo divino, tam mirifice conditam, et humano gustui attemperatam, ut unius buccellae acceptione Deum ipsum comedamus, quod tantae dignitatis est, ut maius quidpiam excogitari, nec optari queat; sunt aliae circumstantiae, ac dignitates, quibus memorata superius convivia ab hoc, quod Christus discipulis suis

apposuit, superantur. Nam si a principibus, et regibus terrae illa facta memorantur, hoc a summo omnium principe, terrae, caelique Domino videmus nobis exhibitum: illic qui mortales erant, ad convivium vocabant; hic nos invitat, qui est sempiternus, ut nos faciat immortales: illic diversae res erant, convivae, convivium, et convivatores; hic est ipse Christus institutor convivii, et ipsum convivium, ipso dicente: *Caro mea vere est cibus:* est et epuli distributor: *Accipite, et manducate:* ac tandem fuit conviva, iuxta illud (*Cant.*5): *Comedi favum meum cum melle meo.* Quod si Vitellius, Sergius, Saxon, et Heliogabalus convivantes carnium, et avium multitudine, ac varietate glorientur, Christus sola unius cibi appositione cunctis praecellit, apponens nobis comedendas carnes regias. Unde apud Ioannem angelus de coelo clamabat (*Apoc.* 19): *Venite ad coenam magnam Dei, ut comedatis carnes regum.* Si miramini tot, ac tam exquisita piscium genera in Vitellii, et Sergii, et Saxonis conviviis apposita, erant illa quidem plena spinarum, quae interdum gutturi adhaerentes nullo inde humano remedio abstractae suffocant comedentes; cibus autem in hoc sacramento inclusus etsi aliquando spinas habuerit, nam eis in cruce coronatus fuit, tamen iam non amplius datur spinosus, sed gloriosus, et hominis palato accommodatus, illam accipiens formam, et modum, qui necessarius, et opportunus erat ad hominis instructionem, oblectamentum, et utilitatem. Si dilutos uniones Cleopatra, et Æsopi filius in coenis suis dederunt bibendos; Christus in coena sua praebuit nobis suae humanitatis pretiosissimam margaritam, quae tanti valoris est, ut a sapiente mercatore omnium bonorum venditione comparari debeat, sicut scriptum est (*Mat.*13): *Inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam.* Si regis Assueri convivium a regni principibus centum et octoginta dies continuatum affert vobis admirationem, advertite Christi epulum non tam angusto temporis curriculo praescriptum, sed perpetuo paratam esse mensam, semper adesse dapes, numquam deesse convivas; nec tamen quantumvis multi, et innumerabiles, ac infiniti accedant, quem semel apposuit cibum posse deficere: nam ut ait s. Thomas: *Nec sumptus consumitur.* Balthasaris convivio numina falsa deorum interfuerunt, quorum praesentia mensas sacrari veteres putabant: quam sacra, et plena veri numinis est censenda mensa illa, ubi Christus vere Deus, et homo adest convivator, et convivium? Si tandem insigne fuit Herodis convivium appositione capitis Praecursoris Baptistae; in hoc epulo adsunt caput, viscera, pedes, et manus agni illius, quem ab origine mundi pro nobis immolandum praemonstraverat paschalis agnus, dicente Deo (*Exod.* 12): *Caput cum pedibus, et intestinis vorabitis.* Possumus quoque per caput Christi intelligere Deum: nam Paulus (1. *Cor.* 11) dixit: *Caput Christi Deus;* et per pedes interpretari sacram ipsius humanitatem, ut explicat Gregorius Nazianzenus (*or.* 43); utroque tamen modo non solum Christi caput, sed corpus eius totum comedimus. Quibus differentiis, et dignitatibus aliae adiungi possunt a superioribus homiliis colligendae; nos duas tantum adiiciemus. Prima est, conviviis superius relatis et aliis numquam ferculum aliquod fuisse ministratum, quod veram, et plenam attulerit esurientibus satietatem; sed in hoc sanctissimo sacramento datur nobis Christus, qui est vera animae saturitas. Narrat Herodianus factum ab Heliogabalo mirabile convivium ciborum fictorum, et apparentium, visu quidem delectabilium, sed nullum alimentum comedentibus suggerentium, cuiusmodi sunt quaecumque ad mundi mensam accumbentes devorant: divitiae namque, honores, et voluptates, quid aliud sunt, nisi, ut dixit Spiritus sanctus (*Prov.* 20), *Panis mendacii?* Promittunt enim satietatem, et esurire magis faciunt possidentes. Unde vulgatum illud: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Hic autem cibus, qui est Christi caro, asserente ipso (*Ioan.* 6): *Caro mea vere est cibus,* vere nos alit, et saturat, quemadmodum praedixit Ioel (*c.* 2): *Comedetis vescentes, et saturabimini.* Interrogat s. Augustinus (*in quaest. super Gen.*), cur Adam tot fructuum generibus affluens, quibus libere vesci poterat, voluerit potius arboris vetitae, quam alterius fructum comedere? respondetque causam fuisse, quoniam Adam suae mentis vacuitatem per illum expleri, et aviditatem animi saturari posse sperabat. Qua in re consideratione dignum est, arborem quam Adam ad hunc finem obtinendum desiderabat, non fuisse illam, de qua comedit, sed arborem vitae, ut Augustinus (*lib. 4. in lib. de Civit. Dei*) notat: nam arbor vitae typus huius sacramenti fuit. Quemadmodum enim arbor illa in se habebat virtutem ad calorem, et vigorem naturalem ita fulciendum, et instaurandum, ut fructum eius gustans homo, morti non esset obnoxius, sed perpetuo viveret, sicut Dei verba indicant de Adamo loquentis (*Genes.* 3): *Ne forte sumat de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum;* sic divinus hic cibus vitam animae conservat, ac tandem vitam largitur aeternitatis, quae nostra omnium est perfecta saturitas, ut Christus dixit (*Ioan.* 6): *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Altera excellentia, qua omnia convivia hoc coeleste superat, et anteit, est, quod illa plerumque noxia fuerunt convivantibus, ut docuit Iob, qui filiis suis convivio indulgentibus, sacrificia pro illis offerebat propter periculum in quo versabantur, gulae inservientes; rogatusque ab amicis, cur ita faceret, respondit (*ibid.*): *Ne forte peccaverint filii mei.* Idque iure timuisse rei exitus comprobavit: nam filiis suis splendide epulantibus mors inopina irrepsit, ruina domus, in qua convivabantur interceptis. Nec primi fuerunt hi, quos comessationibus deditos mors improvisa surripuit: nam et rebelles populi Dei comedentes divinum supplicium occupavit, ut ait Scriptura (*Psal* 77): *Adhuc escae erant in ore ipsorum, et ira Dei descendit super eos.* Idemque contigit regi Balthasari, qui dum iucunde capiebat cibos, et regaliter epulabatur, vidit manum, quae adversus eum in pariete sententiam mortis describebat, quod

ausu impio sacra vasa in profanos usus convertisset, illis utens ad potum, et amicorum propinationes. Damnum, quod affert ventris ingluvies, significatum etiam fuit per Nabuzardan Praefectum equorum, qui a Nabuchodonosor cum exercitu missus adversus Hierusalem, adeptus victoriam fuit, quod s. Gregorius (*in Moral. lib.* 3.) hoc modo interpretatur: *Muros Hierusalem princeps eorum destruxit, quia virtutes animae, dum non restringitur venter, perdit.* Convivia demum hosti nostro domestico arma suggerunt, dum carnem fovent contra spiritum, et animae vires debilitant. Sed convivium, ad quod nos Deus accersiri iubet, et in quo carnem suam praebet pro cibo, non solum non est animae noxium, sed adeo utile, ut ei salutem conservet; immo si huic mensae non accumbat, vitam habere non possit, id Christo nobis attestante: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Praeter haec, tam longe abest, ut qui ad hanc mensam accesserit, igne vitiorum aestuet, quod saepe accidit aliter convivantibus, ut potius, sicut ignis aquae infusione extinguitur, sic omnis cupiditas refrigescat divinam corporis Christi buccellam deglutientibus: nam ut docuit Ecclesiasticus (*Eccl.*25): *Anima callida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid deglutiat.* Quamobrem s. Bernardus omnia pietatis in nobis incrementa, et sanctos proventus huic divino sacramento tamquam universali bonorum causae vult esse attributos: *Si quis vestrum,* inquit, *iracundia, aut libidinis motibus minus agitatur, gratias agat corpori, et sanguini Domini, quia virtus sacramenti in eo operatur;* cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

Expositis Oseae verbis: Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ei ad cor, *explicantur Christi verba:* Caro mea vere est cibus, *quo tamquam lacte anima nutritur.*

Nemo est divini huius, et inaestimabilis sacramenti carnis, et sanguinis Christi aeque particeps, ac Virgo sanctissima Mater eius, quae si Dei Filium nobis non dedisset carne vestitum, non haberemus sacramento velatum, cibumque factum animarum: illa quippe fuit, quae lacteum hunc panem virgineo calore suorum viscerum fovit, et lacte nutrivit. Unde ait Augustinus (*lib. de Trinit. serm.* 1): *Lacta virgo cibum nostrum, lacta panem angelorum.* Quae verba mirabile glossema sunt eorum, quae protulit Oseas, loquens de beneficiis, et favoribus, quibus Deus animam prosequitur: *Lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor.* Septuaginta Interpretes vertunt: *Seducam eam,* quod significat, decipiam eam; unde fieri non potest, quin aliquod in his verbis lateat mysterium. Planum enim est, ipsaque ratio naturalis dictat, Deum nec posse falli, nec fallere. Quid ergo sibi vult, *Seducam eam?* Sanctus Gregorius Nyssenus singulari cum acumine haec verba interpretatur de Eucharistiae sacramento: ait enim, decipi a Deo sensus nostros, cum videatur oculo videre panem, ubi non est panis, et gustui gustare vinum, ubi non est vinum, sed tantummodo panis, et vini accidentia, nulla utriusque substantiae vel minima remanente particula. Iuxta quam expositionem Doctores aliquot explicant eiusdem Prophetae verba praecedentia: *Ecce ego lactabo eam:* nam verbum lacto deduci potest a verbo antiquo, *lacio*, quod significat decipio, et per blanditias in fraudem illicio. Unde Terentius (*in Andria*): *Nonne tibi satis esse hoc visum solidum gaudium, nisi me lactasses amantem, et falsa spe produceres?* idemque ibidem: *Tunc hic homines adolescentulos imperitos rerum, eductos libere in fraudem illicis? sollicitando, et pollicitando eorum animos lactas?* Quo sensu explicantur verba Salomonis (*Proverb.*1. *et* 6): *Si te lactaverint peccatores:* et alibi (*Prov.*16): *Vir iniquus lactat amicum suum.* Quare dicendo septuaginta Interpretes, *Et seducam eam*, videntur praecedentibus verbis: *Ego lactabo eam,* voluisse subiicere expositionem. Fraus haec, vel deceptio dissimilis omnino est ei, quam daemon in paradiso adversus hominem machinatus fuit: nam pollicitus vitam dedit mortem; pollicitus sapientiam dedit ignorantiam; pollicitus divinitatem (*Gen.* 3): *Eritis sicut Dii,* dedit brutorum similitudinem. Unde de homine dictum est (*Ps.*48): *Similis factus est iumentis.* Seductio autem Christi in hoc sacramento sensus decipientis dirigitur ad illuminandum intellectum, et amore Dei inflammandam voluntatem: siquidem sub eo, quod visus, et gustus iudicant esse panem, et vinum, praebet nobis Christus carnis suae regales dapes, et nectar sui sanguinis dulcissimum, quibus anima nostra vere nutritur, ipso dicente: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Satis etiam diversa haec fraus est ab ea, qua seducti haeretici sacramentarii a catholica veritate deflexerunt. In catholicis hominibus fraus quidem est, et deceptio sensuum; sed eos corrigit intellectus, luce catholicae fidei illustratus: haereticorum fraus est perniciosissima, quoniam sensibus acquiescunt, nec a fide catholica emendari volunt. Unde mirum non est, si stultissime, ac impie iudicent in hoc sacramento non esse vere Christi corpus, sed eius figuram: quoniam solido veritatis catholicae fundamento, quod est fides, non innixi, necesse est corruant, et insaniant, nec aliter resipiscere possunt, nisi crediderint. Sponsus in Canticis solicitus, ne similis error Sponsae suae animum occuparet, flagitanti ut sibi faciem ostenderet, et osculo oris sui ipsam oscularetur, respondit (*Cant.* 1): *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento;* quod munus, et responsum a dignitate Sponsae, ac eius petitione videtur alienum. Quid enim ad rem, flagitanti osculum promittere inaures, sive murenulas? Respondet d. Gregorius: inaures, quod ab auribus pen-

deant, esse fidei symbolum, quia ut Paulus (*Rom.* 10) dixit: *Fides ex auditu*; et quia vitae praesentis fides viam parat ad manifestam Dei in futuro saeculo visionem, ideo Sponsae postulanti clarum Christi conspectum dantur inaures, hoc est fides, qua credat Christum humanitate indutum, et sacramento velatum: cum qua pariter fide Sponsa suscipit quod optat osculum, dum ei communicatur aurum vermiculatum, seu variegatum argento, quod est divina, et humana Christi natura, quae candido sacrati panis velamine celata est. Ad cuius loci maiorem intelligentiam notabis, murenulam, dictam a murena piscis genere, formam anguis referente; murenae autem ea natura est, ut cum primum audit masculi vocem, nil cunctetur, sed illico magno, ac veloci impetu omnes fluctuum vortices superet, donec ad ipsum perveniat. Sic et Sponsa ornata murenulis, id est fide, atque amore sui Sponsi ardens, ubi percepit vocem eius, dicentis, *Caro mea vere est cibus*, festinat ad illum, omnes difficultatum undas, et dubiorum gurgites tranans, et praelucente fidei sidere intellectum inclinat, movetque ad firmiter credendum, sub accidentium tegumento Sponsum suum re ipsa, et vere contineri. Maximus Ecclesiae pater Augustinus (*lib.*2. *con. Faust.*) in sensu mystico matrimonium Iacob cum duabus filiabus Laban acute satis, et ingeniose interpretatur, quod proposito nostro valde conducit. Iacob Rachelis pulchritudine captus, ut eam duceret uxorem, annos septem patri servivit, qui tempore nuptiarum adveniente, Liam ei praebuit: cumque ea de re apud Laban quereretur, socer respondit (*Genes.* 29): *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.* Laban idem est, quod dealbans, per quem intelligitur Deus, qui iustificatione animas reddit puras, et candidas, sicut dixit David (*Psal.* 50): *Lavabis me, et super nivem dealbabor*; ante quam ablutionem fuerat ex peccato anima miserabiliter denigrata (*Thren.* 4): *Denigrata est facies tua super carbones.* Huic magno patri duae sunt filiae, una Lia nomine, quae oculorum lippitudine laborabat, per quam denotatur fides, propter rerum divinarum cognitionem obscura, et aenigmatica; altera Rachel, quae interpretatur visio Dei; ideoque Rachel typum gerit beatificae visionis, in qua Deum videbimus, *sicuti est.* Iacob repraesentat intellectum humanum, matrimonio sibi coniungere Rachelem, et quae divina sunt, eorumque auctorem non per speculum, vel aenigma, sed aperta luce intueri cupientem; sed necessarium est prius Liam sibi copulet uxorem, hoc est amplectatur fidei notitiam obscuram: ob eam namque causam Sponsus postulanti Sponsae clarum Dei intuitum offert inaures, quae munera sunt aurium materialium, sicut fides spiritualium, ea re significans, oportere prius obscurae fidei cognitioni acquiescere, si divinorum mysteriorum evidentiam, et claram Dei visionem assequi desideramus. Hac enim de causa haeretici recusantes talem servare cognitionis ordinem, eo insaniae pervenerunt, ut in hoc sacramento solam esse umbram, et figuram Christi, non veram eius praesentiam deblaterent: quorum insipientissimam blasphemiam nunc refutare non intendo argumentis scholasticis, quae proprie spectant ad gymnasium, et magisterii subtilitatem, sed ea tantum adducam, quae concionatoribus, et populari captui magis accommodata fore iudicavi. Inter quae non parum firmum est, quod a verbis Sponsae in Canticis sui epithalamii desumi potest, cum inquit (*Cant.*1): *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Quae verba s. Theodoretus sacramento altaris accommodat, quod ait esse meridiem: quia sicut sol, cum ad meridiem ascendit, summo innixus coeli culmine umbras rebus eripit; ita Christus in hoc sacramento ad culmen accedens suae dilectionis, umbras veteris legis, et figuras, quibus significabatur, exterminat, iuxta verba s. Thomae: *Dat figuris terminum*; *Umbram fugat veritas*; *Noctem lux illuminat.* Sed ut melius percipiatur praedicti loci sententia, notandum est, nomen *meridies:* nec enim percontatur Sponsa ubi cubet mane, aut vesperi, id est, ubi ientaculum, vel merendam sumat, sed ubi cubet, vel prandeat *in meridie*, quoniam matutino tempore, quando ientaculum capitur, umbrae praecedunt, suntque longiores, et vespertino subsequuntur, fiuntque breviores; in meridie autem umbrae vix apparent, quoniam a superstantibus corporibus absumuntur. Unde rustici solent meridianum tempus exploraturi ad locum pergere apertum, ubi stantes, si propriam umbram subter seipsos positam vident, meridiem, et prandii tempus esse iudicant. Inquit igitur Sponsa: nolo sustentari bonis umbraticis, et gaudiis apparentibus, sed veris, et coelestibus, qualia divinus hic cibus includit; ideoque scire cupio, *ubi cubes in meridie*, id est quando in terras veniens fugabis umbras, et per tuam ipsius in sacramento praesentiam genus nutries humanum. Pascebat olim Deus populum suum umbra bonorum, quibus nunc fruimur, ut testatur Apostolus ad Hebraeos: *Umbram habuit lex futurorum bonorum*; pascebat coelitus dato manna, pascebat agno paschali, tamquam carnis Christi umbris, et imaginibus; nunc autem non amplius figuris, sed figurato; non umbra, sed veritate sui corporis pascit *in meridie*, id est in adventu suo, per quem umbras abegit futurorum bonorum, inquiens (*Matt.*26): *Hoc est corpus meum.* Haec est pia, et sancta deceptio, quam a Christo fieri in hoc sacramento dicit Theodoretus, explicans praedicta verba, *Et seducam eam:* quoniam cum in hoc sacramento sensibus nostris videatur illic panis, et vinum esse, nec tamen sit nisi Dei caro, et sanguis, talis seductio utilis valde animae nostrae, et daemoni perniciosissima est. Cum primum Deus humani generis parentes creavit, eorum adversarius diabolus omnes vires, ac nervos intendit ad ipsos decipiendos lacte falsarum voluptatum; quod lac adeo ipsis fuit tabificium, et pestiferum, ut nisi Deus a tam pernicioso ubere illos amovisset, et ablactasset, omnino periissent. Hieremias inquit (*Thren.* 4): *Lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* Tradunt rerum naturalium scriptores, lamiam ita crudelem, ut postquam suos

lactavit catulos, interimat; quod et fecit diabolus adversus Adamum, et Evam: nam cum inani pomi unius, vel ficus gustu, ut alii sentiunt, eos lactavisset, miserabiliter occidit. Quare adversus ipsum contemplor Deum dicentem, lacte hominem vita privasti, sicut Iael ducem Sisaram, et ego tibi lacte vitam eripiam, hominis animam lacte reficiens. Sed quo Domine lacte illam nutries? lacte, ut puto, corporis, et sanguinis tui. Lac enim Eucharistiae sacramentum appellat Apostolus princeps Petrus in canonica Epistola, ubi loquens cum fidelibus recens baptizatis inquit (*Epist.* 1. *cap.* 2): *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo, lac concupiscite*, id est Dominici corporis communionem. Hunc sensum esse litterae magis convenientem constat ex ratione, quam subnectam. Pro qua suppono, quod sicut in natura est generatio, per quam id quod generatur, accipit vitam, ac deinde nutritur, crescit, et augetur, dum quod naturali calore deteritur, cibo recuperatur; sic etiam in supernaturali gratiae ordine est spiritualis generatio, quae fit per baptismum, ubi recipit baptizatus vitam, et Dei filiis adscribitur. Est etiam nutritio, qua vita illa servatur, et virtus augetur, ac quidquid calor concupiscentiae destruit, et reficitur, et instauratur, pro quo supplemento, et instauratione sanctissimum Eucharistiae sacramentum institutum fuit. Cum igitur Petrus in primo illius epistolae capitulo locutus fuisset de spirituali generatione, quae fit per baptisma: *Benedictus Deus, qui regeneravit vos in spem vivam*, egit statim de nutritione spirituali ad virtutis augmentum, quod per hoc sacramentum fit, dum inquit: *Lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Et ut melius intelligeretur, Apostolum loqui de Eucharistiae sacramento, ab ipso ibidem subnectitur: *Si tamen gustatis, quam suavis est Dominus:* quae verba ex Davide mutuata sunt, et ut Ioannes Chrysostomus, et Cyrillus sentiunt, huic divino sacramento mirifice conveniunt, et applicantur. Nec ab eis dissentit Augustinus (*in Psal.* 33. *tom.* 8), tamquam optimus Petri discipulus, divinum hoc sacramentum appellans lac: cuius verba quoniam plena doctrinae, ac pietatis sunt, hic describere visum est: *In principio erat Verbum, ecce cibus sempiternus; sed manducant angeli, manducant supernae virtutes, manducant coelestes spiritus, et manducant, et saginantur, et integrum manet, quod eos satiat, et laetificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, et ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? unde omnibus in lac convertitur, nisi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit, quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ideo ipsum panem mater incarnat, et per humiditatem mammillae, et lactis succo, de ipso pane pascit infantem.* Contemplabatur Augustinus Christum similem matri plures filios habenti, quos omnes eodem pane sustentat, sed natu grandioribus, et dentibus cibum terere, ac stomachi calore coquere valentibus panem porrigit cortice obductum, et duriorem; infantulo autem, quem ad ubera nutrit, non panem ipsum, sed substantiam panis nativo suo calore in liquorem lacteum versi largitur. Hoc modo, ut censet Augustinus, Christus instar nutricis amantissimae pascit angelos, ac beatos in coelo, et homines iustos in terris; sed hoc inter utrosque discrimen est, quoniam illos tamquam filios aetate provectiores sustentat pane in forma propria, id est visione Dei, ut videant eum sicuti est; nobis autem tamquam parvulis, *Quibus lacte opus est, non solido cibo*, ut dixit Paulus, eundem panem, quasi sub forma lactei cibi praebet. Ut enim ait Augustinus, *oportebat ut mensa illa lactesceret*, propter nostram imbecillitatem, qui tamquam infantes coelestem panem manducare non valebamus, nisi per Christum panis ille angelorum hominum gustui, et imbecillitati fuisset attemperatus, ut attestatur Ecclesiae Hymnus: *Ecce panis angelorum, Factus cibus viatorum.* Praeterea sicut mater tenellum nutriens infantem ex cibis, quibus vescitur, quod crassius, et minoris nutritionis est, sibi assumit, et puero cum lacte succum ciborum subtiliorem, et meliorem communicat; ita Christus in ultima coena hoc divinum sacramentum sumens cum Apostolis, ex eo quod erat substantiae minoris accepit, quandam scilicet spiritualem delectationem, quoniam existens beatus non poterat accipere gratiae augmentum, nobis autem dedit, quod in eo purius, et magis, ut ita dicam, succosum est, gratiam nempe, qua nutrimur, tamquam praecipuo huius sacramenti effectu. Unde completum est, quod Isaias praedixerat (*cap.* 60): *Mammilla regum lactaberis*, quod Septuaginta interpretes verterunt: *Divitias regis comedes*, hoc est regis gloriae Christi perfrueris meritis, et mirabilibus beneficiis, quae in nos per hoc sacramentum ab ipso conferuntur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Lactis metaphora, qua utitur Augustinus, fusius explicatur, et singularis providentia Dei ostenditur, qua cunctis ab ipso creatis, ac praesertim animae nostrae praebet nutrimentum.

Quae res maiorem Davidi praebebat occasionem admirandi opera Dei, providentia eiusdem erat, qua tot, ac tam diversa animalium genera terras incolentium, tot piscium et avium species maria, et aerem tranantium tam copiose sustentat, unde inquit (*Psal.*103): *Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore opportuno; aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Mirabile namque admodum est, tot existentibus piscium, animalium, volucrumque generibus, quae diversis indigent alimentis, nec seminantibus, nec metentibus, suggeri tam abundanter, et opportune pastum omnibus convenientem. Nec tamen dum his omnibus, et singulis intenta Dei

sapientia est, confunditur eius administratio, non exhauritur thesaurus, non languet solicitudo, nec puncto temporis a sui ipsius contemplatione divertit. Haec tam universalis pariter, et singularis Dei providentia regium Prophetam stupore correptum exclamare faciebat (*Psal.*91): *Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti. Hoc mare magnum, et spatiosum valde: illic reptilia, quorum non est numerus:* et alibi (*Psal.*146): *Qui operit caelum, et parat terrae pluviam, qui producit in montibus foenum, et herbam servituti hominum*, id est cunctis animantibus, ut exhibeant homini servitutem; quibus non solum necessaria, sed cuiusque gustui accommodata paravit alimenta, flores apibus, capris frondes, iumentis hordeum, bovi foenum, et ferocioribus bestiis alias mitiores, ut idem testatur Propheta (*Ps.*183): *Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quaerant a Deo escam sibi*. Nec deest provida haec Dei cura volucribus, quae vix emergentibus aurorae radiis, insidentes arborum cacuminibus, rostella pandentes, argutis vocibus cibum videntur flagitare a Deo. Ille vero non solum necessariam, sed gratam singulis praebet escam, aedoni culices, turdo granum, milvio passerem, accipitri pernicem, et, ut ait David (*Psal.*146), *pullis corvorum invocantibus eum* mittit escam; quos aiunt rerum naturalium scriptores, dum recens nati implumes albescunt, a parentibus destitui, nec ipsorum aliqua ope iuvari, donec succrescentibus pennis fieri incipiunt nigriores; sed ita orbatis non abest divina providentia: nam ut quidam tradunt, ab aliis avibus aluntur, vel nascentibus in arbore, ubi illorum nidus est, vermiculis, sive, ut alii autumant, misso caelitus rore sustentantur. Quae omnia licet magna, et mirabilia, *vir insipiens non cognoscit, et stultus non intelligit haec*, quoniam ad rerum inanium studia, et mundi fraudes ingeniosus, et perspicacissimus, ad ea, quae Dei sunt, hebes, rudis, et caecutiens est. Quamobrem si totius naturae conditor, et altor Deus tam singulari solicitudine campestribus bestiis, et aereis volucribus necessaria providit; quid faceret erga homines, quos ad imaginem, et similitudinem suam creare dignatus est? Reliquis animantibus assignavit cibum unum, quibusdam solam herbam, aliis solum granum, nonnullis solam carnem, et pro potu cunctis solam aquam; hominem lautioris mensae, ac varietate ciborum magis instructae vult esse convivam, praebens ei in escam animalia, pisces, aves, ut interim taceam tot semina, ac terrae fructus gustui gratissimos, partim hiberno, partim verno tempore provenientes; et in potum non solum aquam fontium, et fluminum, sed vina quoque odorifera, et pretiosissima, quibus liquores alios palato iucundissimos, et valetudini convenientes adiunxit. Veruntamen, qui bene ratiocinari volet, non hic sistet, sed progrediens ulterius sic argumentabitur: Duae sunt in homine partes, quibus constat, corpus videlicet, et anima; corpore similis animalibus, mente angelis est: harum vero partium ratio, et natura exigit, ut vitam habeat animalem, qua crescat cum plantis, et sentiat cum animantibus, habeatque pariter vitam spiritualem, qua Deum cognoscat, amet, et veneretur. Quare si ad vitam corpoream sustinendam tantam Deus rerum copiam, et varietatem ciborum paravit; manifestum inde est, non minus liberaliter dedisse nobis victum, et omnia necessaria ad vitam spiritualem peragendam. Victus autem, quem dedit, adeo pretiosus est, ut non solum dapibus regalibus, sed ipsiusmet regis carnibus, ac proprio corpore vescamur in hoc altaris convivio, ubi licet unus apponatur tantummodo cibus, et unus potus, habet tamen in se omne condimentorum delectamentum, et liquamentorum iucunditatem. Natura multiplicare solet res imperfectas, ut simul omnes, quod singulae non possunt, efficiant: nam, ut dixit Ovidius, ac proverbio circumfertur, *Et quae non prosunt, singula multa iuvant;* sed in rebus perfectis unum producit effectum. Unde cernimus multas esse stellas, unum tamen solem, et lunam unam, nec est in quaque specie angelorum nisi unum individuum, et secundum s. Thomae opinionem (1.*p.*), speciei angelicae perfectionis repugnat in pluribus multiplicari. Cum ergo singula bona creata, nec omnia simul, animo nostro satisfacere nequirent, tam efficax, et mirabile ferculum nobis paravit divina sapientia, ut illo vescentes, non esuriamus in perpetuum, vitam per ipsum recuperantes, iuxta eiusdem verba: *Caro mea vere est cibus, et qui manducat me, ipse vivet propter me*. Veruntamen nosse desidero Domine, quomodo promittis animae cibum, et das carnem? quomodo potest carne sustentari spiritus? Quod si id agis, ut hominem facias a corruptione alienum, et immortalitati restituas, quam ei vetiti pomi esus eripuit, quomodo praebes pro alimento carnem, quae omnis corruptionis principium est? Haec, et alia, quae humanae rationi, et impotentiae magna videntur incommoda, omnia facile superantur, et expediuntur consideranti, Christum non dicere absolute carnem esse animae cibum, sed carnem suam: *Caro mea vere est cibus, etc.* caro enim per se non potest esse animae cibus, cum sit ex natura sua corruptibilis, et infirma: nam ut scriptum est: *Caro non prodest quidquam;* sed unita divino supposito, qualis Christi est caro, ab omni potest liberare corruptione, vitamque largiri aeternitatis. Nec mirum est, talem divinis rebus esse virtutem, ut ab ipsis animus immutetur, cum rebus humanis commoveatur spiritus, ut accidit in musicis, quibus affectus excitantur, et mens permulcetur: quod etiam in cibis delicatioribus, et nobilioribus experimur, quibus ingenia subtiliora, et mores placatiores, generantur. Quare si musicus concentus, et ciborum qualitas animos hominum sic afficit, ut excitet ad quae prius languebant; quanto magis Christi caro, si digne manducetur, cuius est infinita suavitas, et nobilitas, mentem nostram virtute sua mutabit, afficiet, nobilitabit? Quid vero si addamus, cibum, quem nobis dat Christus, non solum esse corpus, sed etiam animam suam, immo et ipsummet Verbum divinum, in quo tamquam in supposito corpus Christi, et anima est? At ubi Verbum divinum est, necesse quoque est adesse divinitatem; et ubi divinitas, tres pariter divinas adesse personas: unde in hostia consecrata, etsi diversis modis, atque rationibus, corpus, et anima Christi, natura divina, et humana, divinarumque personarum beatissima Trinitas verissime adest. Perpende igitur Christiane, quantum Christo debeas, qui tibi unius buccellae, et poculi sumptu dat, ut comedas, quod terrarum, caelorum, et omnium, quae illis continentur, aut a Deo creari possunt, pretium, et dignitatem antecellit. Patet iam hinc responsum ad id, quod obiiciebatur de corruptione, et imbecillitate carnis, cuius esu anima nostra immortalitati restitui non posse videbatur. Id enim verum est, si de carne loquamur, de qua Isaias (*c.*40): *Omnis caro foenum;* non autem de carne, quae Verbo Domini unita est: unde idem Propheta statim subiunxit: *Verbum autem Domini manet in aeternum*. Ergo si *Verbum caro factum est*, liquet aperte, immortalitatem carni, cui unitur, fore ab ipso communicandam: unde inquit David (*Psal.*15): *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Si enim experimento constat, grano salis praeservari carnes a corruptione; quanto magis a Verbo Dei praeservari posse credemus? unde cum Christi caro principio immortalitatis unita sit personaliter, mirum non est, si Christus carnem suam manducantibus promittat immortalitatem: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*. Quia tamen perfectum convivium non solum cibo, sed etiam potu constare debet, ideo Christus in hodierno epulo nobis pro cibo largiens carnem suam, pro potu dat sanguinem, *Sanguis meus vere est potus*. Praedixerat olim Oseas (*c.*11): *Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis;* quae verba declarant, nos Christi sanguine tamquam lacte nutriendos: quod ut crederemus, satis erat dicere, quod Pythagorae discipuli de magistro suo dictitabant: *ipse dixit*. Deus enim promiserat animae lac, inquiens: *Ego lactabo eam*. Sed praeter argumentum ab auctoritate, sunt et aliae rationes, inter quas primum locum teneat naturae nostrae infirmitas, et imbecillitas, ob quam cum humanum genus medicinam ferre non posset, voluit divinus hic noster nutricius, ut hominis sanaret aegritudinem, haurire pharmacum dolorum, et passionis, ut per sanguinem suum, quo tamquam lacte nutriendi eramus, suam nobis communicaret puritatem, et lacteum innocentiae candorem. Qua in re Dei sapientia imitata est prudentium medicorum industriam, qui non largiri solent pharmacum infantulo aegrotanti, sed nutrici, ut medicinae virtus simul cum lacte ad pueri stomachum penetrans, sine illius fastidio morbum depellat. Voluit ergo Christus, educto sibi ex toto corpore sanguine, ad humani generis salutem bibere doloris pharmacum, pharmacum, inquam, tantae amaritudinis, ut antequam illud gustaret, pavere, et taedere coeperit, dicens (*Marc.*14): *Pater transfer a me calicem hunc*. At voluntati divinae humanam submittens, et amore nostri victus, illum cupidus ebibit. Cum ergo Christus dixerit: *Et sanguis meus vere est potus*, quia sicut

carne illius fames nostra, ita et eiusdem sanguine sitis erat repellenda, sanguinem Christi lac nostrum esse interpretantes recte sentiemus. Nam ut Aristoteles (*de hist. animalium*) dixit: *Lac est sanguis concoctus:* sive ut Cremon ad Pierium: *Lac est sanguis colore mutato*. Aiens ergo Christus, *Accipite, et bibite ex eo omnes*, suos nobis dolores, ac poenas amoris ardore concoctas, et in lac nostrae nutritionis conversas nobis propinat, quae per hoc sacramentum nobis communicantur. Hinc verba illa Christi, *Transfer a me calicem hunc*, s. Hilarius, et Basilius interpretantur: Transfer huius calicis fructum in filios meos, et fac, ut passionis meae virtute, et imitatione nutriantur. Opus tamen est, ut hoc sacramentum, quae diximus, in nobis efficiat, animam esse purgatam, et defaecatam omni affectu terrestri: nam ut ait Galenus, et Avicenna cum universa medicorum schola, ut utile sit lac, et salutiferum nutrimentum, oportet corpus malis humoribus expurgari; aliter enim cum lacte peccans humor augetur: ideoque ut sacer hic cibus, divinusque potus menti nostrae suos inducat effectus, convenit omnino illam esse alienam ab omni genere culparum, quibus deformatur, et inquinatur. Hunc carnis Christi cibum, et sanguinis potum vocatum a Deo lac in sacris litteris invenio apud Isaiam (*c.*55): *Sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, et comedite, venite, et emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum, et lac:* quae verba etsi variis sensibus dilucidari queant, omnium tamen aptissimus est, qui huic convenit sacramento. Duo hic proponuntur a Propheta. Primum, quod nobis a Deo datur; alterum, quod pro dono a nobis exigitur. Quae vox esse potest gratior sitientibus, quam illius, qui magno aquae potorio ad bibendum invitat aestuantes? Docet id prae ceteris terra, quae si diu pluvia deficiat, multis in locis hiscens, per hiatus ipsos, et scissuras, quasi per ora, videtur imbrem a Domino postulare: quod innuit David (*Psalm.* 142): *Anima mea sicut terra sine aqua tibi;* contra vero abundantibus, et opportunis irrigata nimbis, laetas producit segetes, et undequaque germinans floribus, ac fructibus decora est. Venite igitur Christiani, quos concupiscentiae ardor exagitat, accedite ad Deum fontem vivum. Latet sub hoc sacramento petra fluens aquis, melle dulcior, scaturigo sitientibus non modo iucunda, sed utilis admodum, et salutifera: hinc enim manant fluenta copiosa gratiarum, virtutum, et meritorum. Festinate pauperes, et inopes: Dominus enim ad emendum invitat argentum non habentes. Sed quae tam inaudita, et inusitata haec vox est, Domine? Si ad emendum vocas, quomodo absque argento, et aliqua commutatione? quomodo venditio, vel emptio dici potest? Emptio enim est contractus, in quo pro re empta aliquid praebetur: aliter enim non tam emptio, quam gratuita donatio est. Praeterea si ad aquam iubes venire sitientes, quomodo ais (*Isai.* 55): *Emite, et comedite?* constat enim comedentibus non tolli sitim, sed augeri. Denique cum dicas (*ibid.*): *Sitientes venite ad aquas;* non eis aquam, sed vinum, et lac suggeris.

Quae contradictio haec, et antinomia est? At revera nulla adest repugnantia verborum, nec oppositio sententiarum, immo grandis mysteriorum dignitas, et sacramentorum profunditas. Primum enim invitans nos ad emendum, Deus ostendit, quod quemadmodum emptor dat pariter, et accipit; ita qui vult divini huius sacramenti percipere fructus, afferre debet debitam animi dispositionem, videlicet humilitatem profundam, qua se cognoscat indignum; fidem vivam, firmiter credens illic vere Christum delitescere; spem firmam, et constantem, qua speret se Christo coniungendum; inflammatum amorem erga infinitam, et immensam bonitatem Dei, qui tam exquisito, mirifico, et ineffabili modo se nobis insinuare voluit; ac tandem erga proximum charitatem veram: non enim decet odio laborare, vel sanguine pollutas habere manus, qui cum Deo in eadem paropside manum intingit, et ad Christi mensam accumbit. Sed quoniam omnis haec praeparatio, et omnis pro re tanta sumptus si comparentur cum humanitate, ac divinitate Christi, cum sanguine, et meritis illius, cum infinitis bonis, quae nobis in hoc sacramento communicantur, instar nihili habenda sunt, ideo ait: *Emite absque argento, et absque ulla commutatione:* nam pro tam parvo pretio tam ingentem largiri thesaurum, idem est, ac si gratis, et pro nihilo daretur; unde Propheta dixit (*Psal.* 55): *Pro nihilo salvos facies eos.* Quod vero vocans ad bibendum sitientes, praebeat cibum, quo sitis augetur, non est absque mysterio: vult enim nobis significare mirabile discrimen, quod inter hoc divinum alimentum, et cetera, quibus nutriuntur mortales, existit: nam omnia ciborum genera, quibus alimur, sive pavonum, vel phasianorum sint, afferunt tandem fastidium comedentibus; sed cibus hic, quem Christus dat, etsi ex una parte satiat esurientes, famem simul acuit, ob idque iubet Deus sitientes comedere, quoniam sicut augetur sitis cibos comedenti terrestres, ita Christi regiam carnem manducantes magis esuriunt, ut ipse dixit (*Eccl.* 24): *Qui edunt me, adhuc esurient.* Fames, et saturitas aliquid mali, et aliquid boni habent. Bonum famis est cibi appetentiam afferre: nam, ut vulgo dicitur: *Optimum condimentum fames;* malum famis est fami non posse satisfacere: saturitatis bonum non exiguum est, latrantem fame stomachum placari; illud tamen habet mali, quod tandem parit cibi fastidium, et quae avide expetivimus, mox taedio habemus. Differentia igitur inter hunc, et alios cibos est, quod in hoc pane angelorum invenitur bonum famis, quippe illam renovat; et invenitur bonum saturitatis, quoniam animi nostri aviditati ubertim, ac plene satisfacit. Dum denique ait (*Isai.* 55): *Sitientes venite ad aquas*, datque vinum, et lac, significat, Christi sanguinem, qui nobis datur in hoc sacramento, esse potum, incipientibus, proficientibus, et perfectis convenientem. Potus tenelli pueri lac est, adolescentis aqua, et viri esse vinum solet. Quicumque igitur puer est in virtute, ad hoc sacramentum accedat, lac enim est quo feliciter adolescet, et qualitatum, quae in eo sunt, particeps efficietur. Res enim est inter philosophos, et medicos exploratissima, et quotidiano probata experimento, nutrices cum lacte pueris suos communicare mores: unde, ut scribit Macrobius, Titus Imperator morbis infestari fuit solitus, quoniam, quae lac praebuerat nutrix, parum firma valetudine fuisset. Narratur et Hadrianus vino ultra modum delectari solitus fuisse vitio nutricis, quae crapulae indulserat: et Dionysius Halicarnasseus refert Caium Caligulam sanguinis humani sitientissimum, quod barbara nutrix ubera infantulo praebenda sanguine inungeret. Cum igitur hoc lac, quo nutrit Christus filios suos, tantae virtutis, et excellentiae, quantae Dei ipsius sanguis existat, quis dubitabit eius ubera sugentes naturae quoque illius fore participes? Id manifeste docet experientia multorum, quos altaris sacramentum frequentantes, novis quotidie augeri virtutibus, et meritis cumulari cernimus: quod mirum quidem non est, cum id a lacte, quo nutriuntur, acceperint. Quare sicut quando aliquid videmus fieri sapienter, aut fortiter ab his, qui sapientibus, ac fortibus parentibus generati sunt, dicere solemus, non est mirum, si ita faciat, nam id cum lacte suxit; ita si viderimus quempiam esse castum, benignum, pacificum, si munificum in pauperes, officiosum in aegrotos, in condonandis iniuriis facilem, dicere iure possumus, nil mirum: hos enim mores cum lacte suscepit: quidquid enim fortitudinis, prudentiae, iustitiae, magnanimitatis in nobis est, ab hoc divino lacte tamquam ab omnium bonorum fonte derivatur. Si ergo puer in progressu virtutis es, lac istud bibe quo nutriaris; et quemadmodum infans de re nulla cogitat nisi de nutricis ubere, illic enim placatur indignatus, laetatur tristis, quiescit lacrymans, sanatur aegrotans, sic tu quoque si tristaris, si succenderis iracundia, si aliis animi affectibus traheris, accurre ad ubera Christi, accurre ad sugendum lac vivificum, et salutare, in quo solamen, gaudium, delectationem, et robur invenies. Quod si iam a pulte, ac infantiae pannis recessisti, et adolescens factus concupiscentiae vexaris aestu, perge ad fontem aquarum viventium: illic enim refrigeraberis, ne te in virtute progredientem libidinis ardor impediat. Si tandem vir iam es ac virtute perfectus, sanguis Christi vinum est, quo inebriantur eius amantes, et in ipsum quem diligunt Christum transformantur. Quae omnia Sponsus brevibus verbis complexus est cum dixit: *Bibi vinum cum lacte meo.* Vinum puerorum est lac, et senum lac est vinum: lacte crescunt, et roborantur pueri, et vino senes exhilarantur ac fulciuntur, quae duae res nobis per hoc sacramentum, ubi omnium bonorum auctor Christus nobis datur, cumulatissime praestantur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XV.

Verba Christi: Caro mea vere est cibus, *superius exponi coepta copiosius nunc pertractantur, et quae sequuntur explicantur:* Sanguis meus vere est potus: *tamque in his, quam illis beneficia, quibus Deus animam in hoc sacramento prosequitur, perstringuntur.*

Ut tam referta mysteriis verba radicitus aperiantur, altius mihi repetenda res est. Primum huius sacramenti exemplum in novo Testamento est apud Ioannem, ubi factum a Christo inclytum illud miraculum narratur, quo panibus quinque hominum quinque millia satiavit, ut tam mirabili convivio, tamquam praeludio, futuri sacratissimi epuli hominum animi ad fidem sacramenti ab ipso instituendi praepararentur. Quoniam si considerentur, quae in illo contigerunt, facile agnoscemus cum his convenire, quae in hoc gesta sunt: nam, ut ait Ioannes, illic Christus *gratias agens distribuit;* et hic, ut testatur Matthaeus: *Accipiens calicem gratias egit:* illic panes quinque tacti eius manibus ad quinque millia multiplicati fuerunt; hic tactus Christi manibus panis in Christi vertitur substantiam: illic convivae omnes saturati sunt; hic praestantiori modo, et mirabili alimento satiantur: illic panis comedentibus iucundus fuit, quoniam Dei panis erat, et ipse quasi pistor eius, et confector fuerat, sicut et vinum in nuptiis Canae Galilaeae iucundum convivantibus fuit, quod non de vitibus terrae provenerat, sed manibus Dei expressum fuerat: et aqua, quam in deserto elicuit de petra, dulcissima, quam ideo Moyses mel appellavit; et in hoc convivio panis est multo dulcior, ac suavior, quia non modo Dei panis, sed ipsemet Deus est: illic Dei manus fuerunt instar horrei tam abundantis, ut ingenti hominum multitudine saturata duodecim cophini superfuerint; hic divini panis tanta est abundantia, ut tot Christi fidelibus per mille, et sexcentos, et amplius annos de illo comedentibus, numquam quae in arca sanctissimi sacramenti custoditur, animarum nostrarum alimonia deficiat. Fuit igitur miraculum illud praeludium, et introductio, qua fideles ad credendam huius divini sacramenti veritatem allicerentur. Unde ait Ioannes dixisse Christum, cum videret turbas seipsum sequentes, et admirantes, quod eos tam abundanter in deserto sustentasset: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis.* Veruntamen oportet in primis animos vestros fide praeparari: *nam hoc est opus Dei, ut credatis in illum, qui misit me.* Quare qui digne accessurus est ad cibum Christi gustandum, ante omnia gradum fidei ascendat, deinde charitatis, tertio spei; per fidem credendo mysterium, per charitatem amando largitorem eius, per spem gloriam sperando promissam, in cuius pignus nobis datur hoc sacramentum: hincque gradatim Christus eo pervenit, ut diceret (*ibid.*): *Caro mea vere est cibus.* Ex quibus verbis campus nobis panditur latissimus ad agendum gratias de beneficiis, et favoribus amplissimis, quibus Deus nos cumulat, praebens nobis divinum alimentum, a quo tamquam fonte perenni omnia flumina gratiarum emanant: nam si Christum in se ipso, prout est aeterni Patris Filius, contemplemini, sapientiae abundantissimus fons est, qui a monte sublimi Patris aeterni habet originem (*Eccl.* 1): *Fons sapientiae Verbum Dei.* Si cernatis illum carne indutum, fons est a foecunda terra viscerum Mariae consurgens, ut mundi sterilem, et infoecundam terram humectet (*Gen.* 2): *Fons ascendebat de terra ad irrigandam universam superficiem terrae.* Si consideretis eundem in terris conversantem, fons quoque fuit doctrinae, quae arentium hominum corda rigavit (*Hester* 11): *Fons parvus crevit in fluvium magnum, et in aquas plurimas redundavit.* Si morientem intueamini, fons est copiosus pietatis, et clementiae, per venas quinque vulnerum manans sanguine ad remissionem peccatorum, ut cruore suo faciat diluvium, quo omnia mundi peccata submergantur, sicut in diluvio homines, et in mari rubro Ægyptii submersi fuerunt (*Genes.* 7): *Rupti sunt fontes abyssi magnae, et factum est diluvium super omnem terram.* Si meditamini resurgentem, fons est gloriae, et beatitudinis, cui numquam aqua deficit ad paradisi plantas irrigandas (*Isai.* 58): *Fons hortorum, cuius non deficient aquae.* Si ascendentem in coelum, fons est, qui tantum ascendit, quantum descendit; et sicut descensus fuit ad terram usque, sic usque ad coelum fuit et ascensus, indeque perpetuis donis et favoribus in homines profluit (*Eph.* 4): *Christus ascendens in altum dedit dona hominibus.* Denique si perpenditis illum in hoc sacramento latentem, perennis est fons amantis Iacob Christi Iesu (*Ioan.*4): *Erat autem ibi fons Iacob;* sed est *fons signatus*, ideoque necesse est, ut ipse aperiat venas thesaurorum illic latentium (*Num.*20): *Aperi Domine thesaurum tuum;* fontem inquam aquae vivae, ut a tam pretioso fonte manantem tuae benignitatis gratiam bibamus, et veneremur. Prima gratia est, quod nobis epulum condivit, et suae nos mensae voluit accumbere (*Prov.*9): *Sapientia aedificavit sibi domum, et excidit columnas septem: immolavit victimas suas, posuit mensam, etc. et locuta est, comedite panem meum.* Laetum vobis affero nuncium: nam sapientia Patris domicilium fixit in orbe terrarum: *Et ignis eius in Sion, et caminus in Hierusalem;* illic pinsit, et coquit panem suum, immolansque victimas nos vocat ad convivium, et ad suae mensae accubitum hortatur. Singularis in nos fuit haec Dei magnificentia: nam etsi a Galliae rege dictum magno Duci cuidam Hispano, ut secum ad eandem mensam accumberet, quoniam qui reges debellaverat, poterat etiam eisdem assidere; qui non vincit animi sui motus, nec suarum est rex affectionum, quomodo mereri potest tam divinae mensae accubationem? Sed ibi latet singularis Christi favor, et benignitas, qua utitur erga suos per hoc sa-